

1744, § 9, coram Reverendiss. P. D. Bussio Decano.

(63. Nova Confraternitas in eodem loco non prohibetur erigi, si titulum habeat ab antiqua Confraternitate diversum. (64. Maxime vero si institutum itidem habeat diversum; Rota in Leopoliensis. Confraternitatis 18 Junii 1743, § 7, et plur. sequent. cor. bon. mem. de Vais, (65. ubi quod procedat, etiamsi concurrat mixtura tituli.

(66. Ex duabus Confraternitatibus ejusdem tituli, et instituti, si una prius obtinuerit licentiam, et altera etsi postea habuerit licentiam, prius tamen sit erecta, hæc, et non illa remanere debet. (67. Rota in dict. Leopoliensis. Confraternitatis 18 Junii 1643, § 12, coram bon. mem. de Vais.

(68. De Confraternitatibus aggregatis Archiconfraternitatibus Urbis, an gaudeant ipsarum privilegiis, plene Rota in Savonen. Aggregationis 16 Aprilis 1714, co. clar. mem. Scott. et in Hispalen. Antianitatis 9 Jan. 1733, coram Eminentissimo Crescentio.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(69. Sive Ethnicorum, sive Christianorum tempora, sive religiosos, sive profanos mores respiciamus antiquissimus Confraternitatum usus apparet. Ethici duo Confraternitatum genera cognoverunt, alterum ad religiosum Deorum, alterum ad profanum artium cultum fuit institutum, quibus vel Collegii, vel sodalitates, vel ab ipsis falsis Divinitatibus, quarum profitebantur cultum, nomen tribuebant. Hinc Dendrophorum et Fredianorum Collegia de quibus Serv. ad Virgil. Georg. l. 1, vers. 20. Gothofred. in Cod. Theod. l. 20, de pagan. et l. 1 de Centonar. et Dendroph. et in marmore apud Raines. Inscript. class. 14, 171. adhuc Collegii Ysidis, et Collegii Serapis adservatur memoria. (70. Posterioribus vero temporibus ubi aliquis Romanorum Imperatorum ad Divinum efferebatur cultum, Collegia ipsorum cultui specialiter addicta, nomen ab iisdem sumebant, ut Augustales, Hadrianales, et alii.

(71. Sed cum sub prætextu divini cultus plerumque prava in eorum concionibus molirentur consilia vel in perniciem Reipublicæ, vel in detrimentum potentiorum, hinc adversas tulerunt vices. (72. Nonnullorum quippe jusserunt Consules Demolitionem templorum, quæ per Auspices deinde restituta, sed iterum dejecta, Augusto tandem imperante, fuerunt restituta. Dion. Halicarnas. histor. lib. 40, 42 et 47.

(73. Vivente Marciano, omnibus interdictis collegiis, Religionis tantum causa coire licitum fuit l. 1, ff. de coll. et corp. (74. Ob hanc causam Judæis post captam a Pompeio Hierosolymam captivis Romæ viventibus, sed inde manumissis, permissum fuit collegium, et Synagogam constituere.

(75. At non multo post cum Julius Cæsar summum Reipublicæ Imperium usurpasset, prohibitis omnibus collegiis, Synagogam Judæis quoque interdixit, quod

postea interdictum revocavit. (76. Sub aliis Imperatoribus renovatæ fuerunt hujusmodi prohibitiones, sed in hoc tanta fuit Judæorum sollicitudo, ut tandem Theodosio, Arcadio, et Honorio imperatoribus voti compotes fuerint l. 9, 12, 20, et 21. Cod. Theod. de Judæis.

(77. Non eadem fuit primis illis temporibus Christianorum conditio. Quamvis enim ad Sacra tantum peragenda, et ad agapas, convivium nempe sobria, instituentia convenirent, nihilominus imperante Trajano ab ipsis abstinere fuerunt jussi in vim Edicti, quo *heterias* esse veterat, Plin. lib. 10, epist. 93 et 97. Textus in l. 4, ff. de colleg. et corpor. heterias vocat eos, qui ejusdem Collegii erant. Heinec. vero exercit. 9, § 18., hoc nomen explicat epulas religionis causa institutas.

(78. Si de omnibus plurium personarum Congregationibus hic sermo habendus esset, jam tuto affirmare possemus Confraternitates inter Christianos ab ipsis usque Christi temporibus fuisse introductas. Apostoli quippe simul conveniebant tum ad Deum colendum, tum ad agapas parandas, idemque consueverunt qui Christi et Apostolorum, deinde exemplum secuti fuerunt; sed hæc Collegia longe a nostris Confraternitatibus diversa sunt, cum ad instar Monachorum communem, tunc vitam sub Præposito agerent. (79. Quare duo distinguenda sunt Collegiorum genera, alia erant Ecclesiastica, alia vero Laicalia; Ecclesiastica eandem diutius communem vivendi formam observarunt, sed tractu temporis in Regularia, uti Monachi, et alii qui vocantur *Fratri*, atque in Sæcularia, uti Canonici Beneficiati, alique similes, de quibus alibi suo loco, distincta sunt. (80. Laicalia vero, quæ primo ad solum Divinum cultum, et pietatis officia coibant, deinde simul convenire cœperunt etiam ad usus profanos, ad expendendam nempe Artificum peritiam, qua cognita ad artium liberalium exercitium novos admittunt artifices. (81. De his posterioribus nunc sermo habendus est.

(82. Ista Collegia quandam orta sint, et quando Confraternitatum sumpserint nomen, arduum est invenire. In Cod. Theod. de Episc. l. 42 et 43, usque ab anno 418, *Parabulanorum* fit mentio, quorum collegium solis Clericis ad ægra curanda corpora destinatis constabat. A Justiniano etiam Novell. 43. *Lecticarii* fidelium corporibus humanis instituti memorantur, sed iis destituti sumus documentis quæ Collegia illa nostris Confraternitatibus similia demonstrent, ideo a recentioribus temporibus eorum petenda est origo.

(83. Si fides habenda esset Sirmond. et Pagi, qui arbitrantur Concilium Namnetense inter Collect. a Labb. tom. 9, habitum fuisse anno 638, vel 660, in eodem Confraternitatum initium statui posset. Alii vero tenent dictum Concilium habitum fuisse anno 800, quo tempore, cum alia occurrant exempla Fratantiarum. Fratria-

rum, Sodalitatum, Congregationum, Societatum, Scholarum, Confratriarum, vel Confraternitatum, quæ collegit Anton. Murat. Rer. Ital. tom. 1, part. 2, in dicto potius anno Confraternitatum origo constituenda est, ut censet idem Murat. *Dissert. sopra l'antichità Italiane* t. 3, Dissert. 75. Anno ultimo XI, sæculi Congregationem Ecclesiæ S. Restitutæ extitisse Neapoli refert Mazochi *Dissert. Historic. de Cathedral. Eccles. Neapol. vicibus*. part. 2, cap. 3, pag. 143. In Concilio Romano anno 1189, describitur Societas, seu Frateria, vel Fratria Clericis simul et Laicis constans. Massiliæ aliam fuisse anno 1212, erectam Confraternitatem, probant Marten. et Durand. in Thesaur. nov. anecdot. (84. Cum vero Italia fere tota sæculo IX, ad sæculum XIII, assiduis Barbarorum incursionibus reperiretur perturbata, et ab intestinis disensionibus civicisque bellis lacerata, pleræque pietatis officia exulabant, nilque mirum, quod eo usque nulla aut pene nulla hujusmodi Confraternitatum reperiat facta mentio. Hic exceptam, præter Neapolim, Venetiarum urbem tantum volumus, nullo domestico tumultu perturbatam, ubi sub invocatione S. Stephani protomartyris anno 1109, celeberrimam Confraternitatem, tunc Scholam appellatam, in Monasterio S. Georgii fuisse erectam testatur Andreas Dandalus in *Chronica* per Murat. Collect. tom. 12, rer. Ital.

(85. Sed non adhuc omnino hæc Confraternitates nostris similes erant, quæ nondum uti in præsens signo aliquo distinguebantur, non sacco induebantur, non denique sacrum vexillum erigebant. (86. Ineunte tandem sæculo XIII, cum Italicæ Civitates interquiescere inciperent opera præsertim Fra. Joannis a Vicentia, aliorumque, qui Populos Sacris Concionibus ad pacem, et concordiam vocabant, Tirabosc. *Istor. della Letterat. Ital.* tom. 4, lib. 2, § 3, plur. seqq. Hinc animi ad poenitentiam commoti publicas inire supplicationes inceperunt, se ad sanguinis usque effusionem verberare, discordes ad concordiam redire, usurarii male ablata restituere. Isti poenitentium cœtus cum ab una in aliam Urbem peregrinarentur, adeo ad poenitentiam excitarent gentes, ut maximo erga Deum amore, maximaque erga proximum charitate succensi omnes Italiæ urbes impleverint sacris hisce supplicationibus; utque una ab altera Societate distingueretur saccum induere, et vexillum erigere cœperunt, illisque primis Confraternitatibus datum fuit nomen *di Flagellanti* vel *Battuti*.

(87. Inter has posteriores antiquior certe apparet Confraternitas dicta *del Confalone* anno 1263, vel ut alii volunt anno 1260. Romæ erecta, quæ multis privilegiis, et indulgentiis a Summis Pontificibus ditata fuit, præsertim a Clemente IV. Hujus Confraternitatis exemplo adeo creverunt in universa Italia Confraternitates,

ut nulla Civitas, nullum oppidum, nullus pagus, et quasi dicam nulla Parochia nunc inveniatur, quæ suam non habeat Confraternitatem. Sed hactenus dicta sufficiant, reliqua inspecturus Lector apud Murat. tom. 12, rer. Ital. in *Cronic. Monz. a Morig. script. lib. 3, cap. 46, et apud eundem sopra le Antichità Italiane dissert. 73.*

(88. Confraternitatum vero, quæ finem sibi proponunt super novis Artificibus admittendis invigilandi, plura videri possunt exempla Romæ; sed cum hæc parum, vel nihil ab antiquis Romanorum sodalitiis differant, nempe Mercatorum, aurigatorum, fabrorum ferrariorum, Argentariorum et similium, ideo de his potius videat. Heinec. *Exercit. 9, præsertim § 11 et 12, qui fuse de ipsis agit.*

(89. Sed undenam vocantur Fratres? Primo quia ut in l. 63, ff. pro Soc. et Quintil. declam. 120, ubi plures ineunt societatem, quoddam Fraternitatis jus acquirunt. Deinde ob fratrum amorem, quo alter alterum prosequatur juxta Christi præceptum. Hinc Apostoli vocabantur Fratres, et Ecclesiasticorum cœtus, omnesque fideles hoc præcipue gloriabantur nomine. Mazochi *Dissert. Historic. de Cathedralis Ecclesiæ Neapol. vicibus*, part. 2, cap. 3, in not. n. 39, pag. 142.

ARTICULUS II.

Quoad varia, quæ concernunt confraternitates, eorum Capellanos, et Parochos.

(1. Ad dirimendas controversias, quæ sæpe oriri solent inter Confraternitates, eorumque Capellanos, et Parochos, non est desumenda regula et norma ab Archiconfraternitatibus Urbis, quia ex quo in Archiconfraternitatibus Urbis præsentiam soleant habere Cardinales, alique magni Prælati propter eorum præminentiam, et Archiconfraternitatum præstantiam, potuerunt ipsis concedi aliqua privilegia particularia, quæ nequeunt trahi in exemplum a Confraternitatibus aggregatis, quibus ad evitanda varia inconvenientia, quæ inde oriebantur, Clemens VIII, in dict. Constitut. incip. *Quæcumque*, expresse voluit talia particularia privilegia communicari, et pro ratione loci statuta condi, et reformari mandavit: ut patet ex præcisis suis verbis adductis supra art. 1, num. 42, et Sac. Congreg. Episcop. expresse declaravit Confraternitates aggregatas Archiconfraternitatibus Urbis non gaudere earum privilegiis, sed solummodo earum Indulgentiis, et gratiis spiritualibus, ut patet ex Decreto relato supra art. 1, n. 41, et sequent. (2. Unde pro dirimendis controversiis sunt observanda Decreta Sacrarum Congregationum, quæ pluries sanxerunt Benedictiones solemnes Olivarum, Cinerum, et Candelarum Benedictiones Fontis Baptismalis, Benedictionem super populum cum Sacramento Eucharistiæ, Missam Solemnem feriæ V. in

Cœna Domini, et Missarum Solemnium celebrationem, et alia hujusmodi pertinere ad Parochos, et fieri non posse in Oratoriis publicis Confraternitatum; et signanter Sacra Congregatio Concil. in Mantuana Jurium Parochialium 3 Julii 1676, ad 6 et 7, dubium in Nullius Nonantulana Jurium Parochialium 17. Februar. 1683. ad secundum, et in Bonien. Jurium Parochialium 17. Novembris 1691, ad tertium, et in Regien. 5 Augusti 1719, ubi pro Canonice Collegiatae Novellariae cum Confratribus Sanctissimi Rosarii fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia sub titulo *Regien.*

1. An annuente, et permittente Archipresbytero, et Parocho possit Archiconfraternitas SS. Rosarii adimplere onera Missarum, et Anniversariorum sibi injuncta mediantibus Presbyteris exteris sibi benevisis; sive potius teneatur uti Ministerio Canonice Collegiatae, et quatenus affirmative quoad secundam partem.

2. An praedicti Canonici tempore celebrationis Missarum Cantatarum celebrandarum in eodem Altari non recedendo ab eodem Choro, possint ibidem Missis Cantatis assistere.

3. An, et in qua summa praestanda sit elemosyna pro dictis Missis tam lectis quam cantatis.

4. An Confraternitas possit de licentia, et consensu d. Parochi exponere infra annum in Capella SS. Rosarii publicae venerationi SS. Eucharistiae Sacramentum, sive potius requiratur licentia Ordinarii.

5. An Confratres, annuente et permittente d. Archipresbytero, facere possint Processiones intra et extra Ecclesiam sine interventu Canonice.

6. An, et a quo sit determinanda via Processionum, quae fiunt extra Ecclesiam, et per Parochiam?

7. An permittente D. Archipresbyt. possit d. Archiconfraternitas erigere in dd. Processionibus propriam Crucem.

8. An de licentia ejusdem Archipresbyteri possit d. Confraternitas pulsari facere Organa, et Campanas d. Ecclesiae; sive potius circa praemissa requiratur quoque consensus Canonice.

9. An permittente archipresbytero, et Parocho possint Confratres impedire Canonice celebrationem Missarum in eodem Altari SS. Rosarii, et quatenus negative.

10. An Canonici teneantur concurrere ad manutentionem Altaris et Capellae?

11. An praedictus Archipresbyter, et Canonici teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in casu, etc.

Resolutiones dubiorum hujus causae sub titulo *Regien.* propositae in Congr. Conc. die 5 aug. 1719, sunt sequentes.

Ad primum. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Ad 2. Affirmative, dummodo non assistant in Sacristia.

Ad 3. Praestandam esse elemosynam tam

pro Missis lectis, quam pro cantatis, juxta morem loci.

Ad 4. Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad 5. Ad primam dubii partem, et ad secundam negative, dummodo non agatur de Processionibus, quae fiunt ex Instituto Confraternitatis, et in quibus sufficit quod Canonici sint vocati.

Ad 6. Esse determinandam a Praefecto Chori interveniente Capitulo.

Ad 7. Negative.

Ad 8. Negative ad primam dubii partem, Affirmative ad secundam.

Ad 9. Negative.

Ad 10. Negative.

Ad 11. Demum affirmative, cum addito in omnibus dictis dubiis: quod causa amplius non proponeretur.

Et in Cremon. pro Confraternitate mortis, et Orationis Oppidi Casalis Majoris Cremonensis Diocesis cum Archipresbytero S. Leonardi ejusdem Oppidi, ubi fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia.

1. An praeposito S. Leonardi invitato, et renuente, aut impedito intervenire Processioni occasione Festi Nativitatis B. Mariae Virginis, adhuc Confratres Mortis Oppidi Casalis Majoris illam facere possint absque licentia d. Parochi in casu, etc.

2. An dd. Confratres facere possint eandem Processionem cum interventu Capellani, aut alterius Sacerdotis per ipsos, non autem per praepositum nominandi.

3. An praeposito S. Leonardi, et simul Confratri dictae Confraternitatis competenter duo suffragia, vel unum dumtaxat in Congregationibus ejusdem Confraternitatis.

Super quibus dubiis propositis in Congregatione habita die 5 Junii 1723, quoad primum emanavit resolutio; *Affirmative* intra ambitum Oratorii, extra vero *negative*, nisi accedat licentia Episcopi. Ad secundum *affirmative*. Ad tertium *negative* quoad primam, et *affirmative* quoad secundam partem; et die 13 Aprilis 1726, propositis in Congr. Concilii sequentibus quatuor dubiis:

1. An sit standum, vel procedendum a decisis, sub die 5 Junii 1723, quoad secundum dubium?

2. An Confraternitas Orationis, et Mortis Oppidi Casalis Majoris aggreg. Confraternitati Urbis possit sine licentia Episcopi in suo Oratorio exponere Eucharistiam infra annum et praecipue XL Horarum in Octava Defunctorum, aliasque functiones peragere, juxta assertum institutum in casu, etc., et quatenus *negative*.

3. An sufficiat semel dictam licentiam petere tam pro expositione infra annum, quam XL Horarum, aliisque functionibus, juxta d. ass. institutum, seu potius illa requiratur, toties, quoties.

4. An petita, et non obtenta dicta licentia habeatur pro concessa in casu, etc.

Ad primum: responsum fuit in decisis.

Ad secundum: negative quoad primam partem et quoad secundam explicentur functiones.

Ad tertium, servetur solitum.

Ad quartum; negative et amplius in omnibus.

Et Alexandrina pro Confraternitate sanctae Mariae Misericordiae, et S. Rochi cum Parocho S. Martini fuerunt proposita, et resoluta duo sequentia dubia:

1. An Confraternitas S. Mariae Misericordiae, et S. Rochi Civitatis Alexandrinae possit sine licentia, et interventu Parochi exponere in suo Oratorio Lignum S. Crucis?

2. An eadem Confraternitas possit pariter sine licentia, et interventu Parochi exponere in suo Oratorio SS. Eucharistiam in casu, etc.

Sacra Congreg. Conc. in Alexandrina, 21 Februar. 1728, respondit: *Ad utrumque affirmative, accedente licentia Episcopi. Et amplius.*

Confraternitas potest facere suas Congregationes absque licentia, et interessentia Parochi; Sac. Cong. Conc. in Novarien. 24 Septembris 1718, ad nonum dubium. Et Capellanus Confraternitatis potest in suo Oratorio, benedicere candelas pro Confratribus et sororibus, in festo Purificationis B. M. V. in respons. ad 13 dubium.

Parochus debet a Confraternitate invitari, ut praesideat in Congregationibus faciendis tam in imbussolationibus, et extractione Priorum, ac Officialium, quam in redditione rationum; Sac. Congr. Conc. in Bononien. 15 Mart. 1728, ad 2 dub. Non debet tamen invitari, ut praesideat Congregationibus faciendis pro distributione dotium nec non pro his, quae concernunt temporalia, et rerum oeconomiam; Ibid ad 5 dub.

(3. Decretis Sacrae Congregationis Concilii consonant resolutiones Sacrae Congregationis Episcop. et Regular. in una Rhegien. inter Monasterium, et Monachos S. Petri Congregationis Cassinensium, et Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti dictae Civitatis in qua propositis dubiis:

1. An Confraternitas sit exempta a Jurisdictione Ordinarii?

2. An eidem Confraternitati competat facultas retinendi Campanas obstrepentes in culmine Oratorii?

3. Processiones faciendi per Parochiam cum Stola, et Cruce occasione associationis Cadaverum, et similium?

4. Continuo asservandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, etiam cum illius publica expositione?

5. Administrandi publice Sacramentum Confessionis?

6. Benedicendi Candelas, Cineres, Olivas?

7. Functiones peragendi in Majori Hebdomada, signanter in die Cœnae Domini?

8. Ibi sepeliendi Cadavera absque alio interventu Parochi, istique omnino denegando Jura Parochialia?

(4. Die 5 Junii 1699, Sac. Cong. referente Eminentissimo Cardinali Tanario, censuit et decrevit non constare de exemptione, et in reliquis, *inherendo* (sunt verba Decreti) *Decretis alias desuper editis, censuit respondendum negative.*

(5. Decretis Sacrarum Congregationum Concilii, et Episcoporum et Regularium consonant nova Decreta Sacrae Congregationis Rituum, in qua propositis sequentibus dubiis:

1. An Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis Parochialibus, habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

2. An dictae Confraternitates erectae in Capellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis, ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quo ad dictas functiones?

3. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis, habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?

4. An Confraternitates erectae in Oratoriis tam publicis, quam privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus quoad dictas functiones Ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam a Parocho?

5. An Benedictiones, et Distributiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, sint de juribus mere Parochialibus?

6. An Benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, et similium, sint de juribus mere Parochialibus?

7. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de juribus mere Parochialibus?

8. An celebratio Missae solennis feria quinta in Cœna Domini, sit de dictis juribus Parochialibus?

9. An prima passio Campanarum in Sabato Sancto sit de juribus Parochialibus?

10. An celebratio Missarum Solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus Parochialibus?

11. An Expositio quadraginta horarum, et benedictio, quae fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus?

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis, vel sacris imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus?

13. An functiones in praecedentibus ceto dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

14. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres stalis horis recitari possint horae Canonicae cum cantu, vel sine absque licentia Parochi?

15. An in dictis Oratoriis privatis licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho?

16. An Capellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates, et vigiliis occurrentes in Hebdomada, absque licentia Parochi?

17. An Parochus, invitatis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, Oratoriis publicis, vel privatis a Parochiali divisis, et separatis.

18. An in saepe dictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae